



**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Oviedo, Francisco de

Lvgdvni, M.DC.LI.

Eminentissimo Ac Reverendissimo D. D. Balthasari Moscoso, Sandoval, Et
Osorio, S. R. E. Cardinali, Amplissimo, Gienensis Ecclesiæ Præsvli
Dignissimo, Philippi IV. à secretioribus status regni ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)



EMINENTISSIMO
AC REVERENDISSIMO
D.D. BALTHASARI
MOSCOSO,
SANDOVAL,
ET OSORIO,
S.R.E. CARDINALI,
AMPLISSIMO,
GIENENSIS ECCLESIAE
PRÆSVLI DIGNISSIMO,

Philippi IV. à secretioribus status regni Consiliis.

D. S.



AM pridem me Tibi sponte deuoueram, CELSISSIME PRINCEPS, EMINENTISSIME HIERARCHA, iam diu me libentem rauerant tua comitas, humanitas, ac urbana benignitas, cum Patronum Philosophiæ nostræ desiderans, qui eam adoptans protegeret, & suo nomine defensaret, nunquam tuæ liberalitatis oblitus, eam mihi ex voto promisi, & ex debito cogitavi, si in id à me nuncupaueris officium, maiora cum tota nostra Societate debenti, pauca pro exiguis viribus soluturo. Nec ignoro, me, dum priora rependere festino, beneficio nouo grauari, quod gratum mihi iucundissimūque pollicebor, si te inclytum Mæcenatem tantilli operis fore non pudeat. Ast tuæ egregiæ indolis facilis Comitas,

*

3

&

& mira Vrbanitas, quibus aliorum vtilitati, si illis auxilij tui opus est, semper incumbis, siue audaciam fecit, siue fiduciam, quâ mecum pensitarem, fastigij tui sinu Volumen hoc fouere, clarissimique tui Nominis gloriâ nobilitare, te neutiquam dedignaturum. Quid enim hanc mihi de Te conceptam spem eriperet, qui tuam beneuolam maiestatem, & sine supercilio nobilitatem edoctus, ad Te vnum mente traheret, si voluntate non irem. Adeo me tuum captauit ingenium; adeo hamauit suauissima virtus, vt ex quo Te propius inspexerim Compluti domicilio nostro dignatum, tibi iam deditissimus meæ felicitati protinus gratularer, & Philosophiam nostram fortunatissimam præfagirem, si sub tanti Antistitis clientelâ, sub Clarissimi Principis patrocinio contingeret mancipari. Neque enim facile definierim, vtrum me magis impulerit, vt te voluminis huius Patronum ambirem, vel meus erga Te affectus, & obseruantia; vel prouidentia mei, propriique commodi studium, quæ omnia æquè id ipsum, quod in votis habuerim, & suadebant simul & extorquebant; cum mihi maius, quo Te pro meo studio, Tuoque merito colerem, penitus deficeret, id tamen ipsum putabam, à beneuolo Genio venire, quod hoc meæ qualecumque voluntatis indicium in tam ingens mei commodum esset processurum. Etenim si doctrinam meam acutissimam, & politissimam crederem, non eâ magis, quàm tuo præclarissimo inserto nomine authoris commendaretur ingenium, quod hinc potius, quàm inde erit veneratura posteritas: *Affertio ingenij est Deo obsequentiis man-*

*Ennod.
in dist.
3. ex sa-
cris.*

cipare quod loquimur, quod excudimus.

Puillum hoc ingenium tutare, euehe, DYNASTES POTENTISSIME, Tuo fauore Catonianos quosque dentes, & aduncos nasos audacter risurum: Et inuidiam quomodo non rideam? si Tua fuerit in fronte Nobilitas, si tua fuerit constantissima Virtus; sub vtraque nostrum meret ingenium, & quis ambigat vtraque perennaturum cedrina pigmenta non ambiens? quæ enim tam procacis, & insanæ mentis caligo cum tuo antiquissimo splendore decertans vndique circumfusa cæcutiens non euanescat, & pereat? MOSCOSIORVM tibi sunt, & SANDOVALIUM præclarissima stemmata, quæ tum per excellentissimos Comites de ALTAMIRA, quorum inclytum nomen admirationi simul erit posteris, & venerationi, mirificè ostentant, vnde originem ducis paternam; quæ etiam Clarissimorum Ducum de LERMA domum mille aliis ditatam titulis, nullique alteri comparandam præ se ferunt, vnde maternam habes originem. At his nuncupatoriæ epistolæ angustiis Reges inclytos fortissimosque Imperatores, illustres Heroës, lectissimasque Heroïnas, nominis immortalis auos tuos non vacat adhuc festinato percurrere, Annalium aliàs volumina constipantes, nullâ posterorum memoriâ delendos, excultisque Historicorum calamis narratione adhuc simplici commendandos. Ornauit Te Natura maiorum splendore, & in Te vnum larga concessit, quàm in
Princi

Principibus viris præstantiam, clarique ortus felicitatem reueremur,
Tua natura genium prima visione testatur, Et occultari te non patitur
futura sublimis: decus clari sanguinis non tenetur abscondio, vox munda
& Regalis originis licet in recessibus, quos tam vehementer, & anxie
ouicularum amore impulsus adiisti, & ingenti adeo earum commodo
propugnasti, *semper auditur.*

Magnus
Felix
in præ-
fat. di-
cta Lu-
picino.

Cæterum haud furax in tui commendatione, in Parentum in titulos
inuolabo, neque ab Atauis nobilitatem tuam potius requiram:

--- qui genus iactat suum

Aliena laudat.

Tragicus
in Hercule
furente.

At si non facit nobilem atrium plenum formosis imaginibus: quibus Te
nullus vsquequaque præstantior; si nemo in nostram gloriam vixit, nec
quod ante nos fuit, nostrum est, aliàs nullus te hac prærogatiua felicior:
si solus animus facit nobilem, cui ex quacumque conditione supra fortun-
nam licet surgere; nemo te sanè penitiori hac nobilitate gloriosior. Tua-
rum quidem omnium linguis oberrabat fama virtutum, quæ fertilem
laudandi segetem etiam vulgo plerunque maledico producebant; cum
accidit ex tua benignitate, quæ perpetuò nostra est tibi deuincta Socie-
tas, & ex meo auspicatissimo fato, quod nunquam satis æstimem, vt
te propius aspicere liceret in nostro Complutensi Collegio commo-
rantem, & tuarum virtutum splendorem vel conuiuentibus oculis in-
tueri, & præstantissimum genium ad omnem virtutem, & religionem
mirè compositum, oculis, non aure captare. Stupuit animus, & cir-
cumlatam famam protinus incusauit tuam gloriâ, & virtutum veritate
longè minorem. Ad quod tam grandis Eminentia haud posses emer-
sisse fastigium nisi iam olim à teneris annis fauente, & adspirante Nu-
mine properasses.

Nondum pueritiæ prima rudimenta posueras, cum scientiæ com-
parandæ studio non mediocri accensus Parentum palatio ereptus Vni-
uersitati Salmanticensi adscribi cupiisti, vbi eam breui tempore tui
naetus es opinionem placidissimis moribus, studio pietatis, ingenio
acri, licet mirâ cum vrbantate, & mansuetudine temperato; In te
enim *tanquam in proprio domicilio saporem suum ingenuitas, & vigor*
agnouit, vt iam tum prudens quisque facili præfagio Ecclesiastici cul-
minis fundamenta prædiceret; eam namque animi grauitatem, oris
modestiam, verborum pondus, prudentiam actionum, morumque cani-
tiem omnes in ætate tuâ tenera suspiciebant, quæ omnia maturæ fene-
ctutis longæque expertæque ætatis eximia essent ornamenta. *Cana*
consilia in annis puerilibus meditabar: vernabat in te præ cæteris ma-
ter bonorum operum verecundia, te quicumque vidit, cum necdum dignita-
tum aliquod limen intrasses, omnia transisse credidit; quæ sequebantur
insignia. Harum virtutum decore clarissimus miro scholarum plausu,
& bonorum omnium consensu in illius Vniuersitatis apice constitu-
tuses, qui iuuenis adhuc dares iura senibus, & cum vix de adole-
scente

Ennod. in
Panegy.

Magn.
Felix in
vita S.
Epiphani.

ſcente erudiendo felix illa Academia conceperat hilaritatem, mox eam ſequeretur ſecuritas de tutore. Litteris deinde ſatis imbutus infularum quaſi tyrocinium ingreſſus es, qui aliorum poſſes infulas informare Magiſter. Toletana enim adſcitus Eccleſiæ, Pontificem actibus impleſti ante tempora dignitatis: hæc nimis ſera tibi iuueni fuit, quæ alias etiam ſenibus immatura properaſſet. Aſſumptus ad purpuram, & initiatus infulis, de te tuiſque moribus ab omnibus conceptam ſpem firmaviſti, qui queruli tarditatem, & moras incuſabant honoris tandiu meriti, nec antea delati. At & meritis tuis illud acceſſit, vt dignitas dignitati ſubeundæ præiret, ne gratia videretur, quæ tibi tot tantique titulis debebatur, nam ſortasſe prouida Parentum tuorum diligentia prius te eligi voluit, quam probari: ſed ne officioſæ voluntati, ſæpe vt affectu tenetur aberranti, tuam electionem deberes, ſed oculatiſſimo mentis arbitrio, dedit tibi apicem res iudicij non fauoris.

O quantis, PASTOR VIGILANTISSIME, EMINENTISSIME PRÆSVL tuam hîc modeltiam offenderem, & pudiciſſimo extorto rubore magnitudinem humilitatis tuæ penè concitarem ad iram, ni maluiſſem ſaltuatim, & perfunctoriè iſta libare, quam pro tuis meritis, & noſtro in te affectu panegyrim inſtituere; virtutum etiam tuarum copia verborum me inopem reddit. Heu, quanta menti occurrunt! quam pauca tardo calamo, & ſtriſta papyro nedum recenſeri licet! ſumma eſſet audacia, ſumma temeritas tuarum laudes virtutum, quarum narrationem integra non caperent volumina, breui chartâ ſcribenda ſuſcipere. Abſit à me adeo imprudens audacia, EMINENTISSIME PURPURATE, de geſtorum tuorum cumulſ maiori voto, quam eloquentiâ ſtriſtim tantum deguſtare placeret minima, & maioribus aliis, atque melioribus intacta relinquere ea, quibus (ſi fieri poſſit) vberiori oratione complecti, ac commendare adſit poteſtas. Vbi Gienenſi Eccleſiæ præpoſitus es, cœpit te exedere caſtiſſimæ ſponſæ cupido, & procurata gregis indemnitas, & deſiderata ſecuritas in vigilias frequentes animum diſtrahebant. Quis vnquam ſic auarus poterat opibus fortunisque inhiare, qui tuam in ouium iniunctarum ſaluti inuigilando, omnibusque earum commodis conſulendo operam, & ſtudio æquauerit? Cùm ſacerdotum Princeps eſſes, à ſacerdotibus cura tua capeſſiuit exordium, *quos maluiſti videri inueniſſe bonos, quam ſeciſſe*; eo enim in tuos amore de moribus inquirere aggreſſus es, vt integritatem laudandam, non licentiam puniendam quærere videreris, *Habes enim hanc Deo inſpirante magnitudinem, vt te plus poſſe credas diligentiam quam timore*. Sed quis tam deploratæ vitæ, tam perſtriſtæ frontis in tui conſpectu de meliori fruge non cogitaret, & ad tanti Antiſtitis & Paſtoris exemplum mores ſuos non componeret? Tu primus piis ſacrisque rebus religioſè vacabas, lectioni ſacræ aſſiduè intentus, corpus pio animo fœderabas, nec quidquam

Tacitus.

quidquam in tuis fingere fuit tibi cura, & studium, quod antea in te ipso non formares, & dum cunctis pietate & recta vitæ ratione præires mirâ ex singulis lenitate animi, quod ipsi in te mirabantur, iam imitationis avidis extorquebas.

Primæuæ Ecclesiæ felicitatem, & honestatis studium in tua Dicecesi venerabantur Hispaniæ, quando Romanam Curiam adire compulsus, ut grauiissima negotia tuâ prudentiâ semperque maturo consilio tractares. O quanto ditionem tuam nuncius iste dolore percussit! Lamentabantur tunc viduæ ereptum sibi iudicem, & vindicem; orphani parentem; inopes asylum; diuites consiliarium; probi amicum; improbi remedium; cuncti denique ablatum sibi Pastorem dolebant. Expeditionem adornabas, & omnium votis, & clamoribus feriebaris; vicit tandem causa communis, cum ea simul, & tener affectus de tuo discessu decertarent. Gienensibus itaque Sol occidit, qui Romanis illuxit, neque aliud Hispaniæ solatium reliquisti, nisi quod exspes omnino non foret tui iubaris redituri. Suspexit serò Roma, quod serò magno suo bono conspexit, & quæ antea ad famam tui Nominis plura conceperat, apud te admirata virtutes plures vidit non solum, quàm crediderat, sed quàm audierat, nec sua laudantes, & inani ostentatione in maius extollentes reperit Hispanos. Stupebant quidem cæteri Purpurati in pertractandis rebus prudentiam, religionem, pietatem, sacrorum affectum, cum his omnibus fidelitatem erga Principem mirè coniunctam, & apud sanctissimum Senatum ingenuam in dicendâ sententiâ libertatem. Cæterum nec minoris tibi ornamenti fuit Romanam plebem tua morum facilitate tibi allectam, quàm eorumdem grauitate in illustrium Purpuratorum animos te fuisse insinuatam, etenim ea liberalitate subleuabas egenos & cunctis miseris succurrebas, ac si te ipsum stipendio coemptum rei suæ procurandæ acceperant. Nullus equidem, cui auxilio tuo, fauore, opera, liberalitate fuit opus, eadem in Te desiderauit vnquam, omnes complectebantur tua viscera benignissima, & dum nullum à te vacuum, indonatūque discedere pateris, dumque miseri ad te certatim confugiunt, depauperare volentem. Erogaueras reliqua, cum meditatus, quantis homo non egeat, dum aliis suppetit, facile aduertis, quomodo animus inueniat liberalitatis materiam etiam inter angustias paupertatis. Argenteum abacum, & domus tuæ vtenilia in pauperes expendisti, sic egregij facinoris fama ferebat, neque aliquem dubitaturum arbitror, qui tuam pietatem atque animi magnitudinem, assuetam iuste prodigere Gienensibus non solum diuites Episcopatus prouentus, qui tuo parcissimo victui supersunt, sed etiam quæque ille tenuissimus efflagitabat.

Hæc inter iniquè ferebas, quæ te Romam auexerant, negotia differri, ad tuosque aduentum retardari, ad quos redire amor sponsæ exoptatissimæ Gienensis Ecclesiæ stimulabat efflictim; tam lentam

Franc. de Oniedo, Philosoph. Tom. I.

• • •

igitur

igitur auersatus absentiam tuis te opportunissimus restituisti, qui Te hilares, & sibi inuicem de Parentis felicissimo aduentu, de reditu Pastoris congratulantes recepere: eis enim iterum fulgore tuo dies reditus, restituta lætitia, antiquus ille honestorum morum renatus decor, cura refarcita salutis, vegeta, pristinaque sollicitudo resumpta.

Constitit rerum ista felicitas, Regiam euocatus Curiam repetere denuo iuberis, seu quia Principis negotia vrgebant, seu quia Regni utilitas, & Ecclesiæ causa videbantur exigere. Patuit iterum, qui alias sæpe, EMINENTISSIME ANTISTES, tunc maximè in hanc tibi addictissimam Societatem singularis affectus, cum Frater tuus vir clarissimus suum regale domicilium tibi Curiam aduenienti offerret, & pro eius in te amore, & beneuolentia totis viribus te secum commorari eniteretur, & quasi proprio iure efflagitaret, tam illustri hospitio non accepto ad nostrum tyrocinium diuertere non dubitasti. Neque admirationi fuit tuam egregiam indolem, pietatēque noscentibus, quod cellam humilem, & à tumultu Curiae remotam digno te præposueris domicilio. Hic igitur maturo consilio aderas Regis, regni que grauissimis negotiis expediendis, tuum tamen semper fuit omnium primum Numini vacare, sermones non nisi de pietate habere, Magnatum etiam cognatorum colloquia fugere, popularēque pompam abhorrere, fastum libentissime deponere, somni tempus vigiliis intermixtum transigere, meditationi sacræ assiduū instare, & frugali mensā uti, ac tandem Religiosi cuiuslibet os poterat rubore suffundi. Et qui tuam virtutem contemplatus est, eum suæ haud puduisse non poterat. His dum aderas, Magnus noster PHILIPPVS, ut communi utilitati de more consuleret, & gratum erga te animum ostenderet suum, & tua in ipsum obsequia, & in rempublicam beneficia rependeret, in illorum numero, qui penitiori consensui adsunt, ubi grauiora regni deliberantur negotia, te adscribi iussit. Nouum tibi Consiliarij nomen indidit, non rem; id enim cum Matriti munus obibas, tum idem Romæ eiusdem Principis beneficio præstiteras. Semper enim contemplatus Rex tuam miram prudentiam, qua *aduocasti Prouidentiam actuum tuorum comitem*, tuam sententiam in rebus arduis, in dubiis arbitrium, & in omnibus consilium suæ Prouidentiae comitem aduocauit; id igitur munus gloriosissimè obieras; *singulare enim est actibus implere sanctissimum, & veneranda nomina non habere*. Ne tamen vel Nomen quidem in te vacuum sit luce laudis, Status Consiliarij nomenclaturā donatus es. Neque ista à pudicissimæ sponsæ amore animum auertebant, diuinorumque contemplatione, quibus te rotum mancipaueras, & quibus vacandi causa Complutum non semel petiisti, ubi beneficia cumulaturus, iterum hospitio nostro contentus esse voluisti. Aderam ego (ô me tam fortunato contubernio felicem!) per id tempus Complutensi Collegio, ibi animum meum tuus cepit conspectus, tuæque animi

Ennod.
Theod.

animi nota virtus me arctissimo vinculo tibi in posterum deuinxit. Aditus ad te cuicumque è nostris semper referatur : licebat nobis per-
opportune plures horas non minus iucunde , quàm vtiliter tecum in-
sumere ; comiter & familiariter omnes alloquebaris , ac si modo de
religione , & pietate sermo incidisset , quo plerumque (quia tibi per-
gratum esse nouimus) blandiebamur , tunc sermonem per longum
tempus produci lætabaris. Crebrò te nostri omnes repetebant, neque
à tua præsentia fauore tuo vacuus aliquando quisquam discessit, nul-
lum erga nostros Vigilantissimi Parentis officium omisisti : omnium
animos recreabas , omniumque saluti consulebas , nec semel morbo
oppressos (de quorum salute paterno affectu sollicitus certiorum te
fieri volebas , neque id alienæ curæ commiseras , sed ipsemet scisci-
tabaris) benignissimâ tuâ fouebas præsentia , neque exiguum argen-
teorum numerum apud illum cui ægotantium cura commissa erat ,
iussisti deponi , quibus largè infirmorum commodo , & voluptati in-
dulgeretur , vt si quid in hac re paupertas religiosa desideraret , tanti
Antistitis , nostrique Parentis subleuaretur clementiâ. Vidi ipse ,
NOBILISSIME PRINCEPS , neque de his , quorum non sine reuerenti
affectu memini , fama dumtaxat testis esto.

Matritum inde cùm non sponte redires , renuebas cum Ecclesia
diuortium , adigebat huc negotiorum moles , quæ te maximè requi-
rebat , illinc reuocabat conscientiaë stimulus , & amor Ecclesiæ , quam
tibi pudicissimo iunxeras connubio : aggressus es facinus te solo di-
gnum , ô Pastoris exemplum , ære , & marmoribus exarandum ! cele-
brabit ventura posteritas , & admirabunda suscipiet , si non ad imita-
tionem tui , saltem ad gloriam. Prædicabit orbis æternis extollet
præconiis Principis fortitudinem , quam prius contigit in te videre ,
quàm credere. Magni tibi semper fuit Regis obsequium , regni com-
modum , maximè Dei timor , conscientiaë integritas , cui à teneris annis
assueueras incumbere. Ergo vicisti , HIERARCHA FORTISSE , spre-
tisque emolumentis , quæ tibi tuæque nobilissimæ Domui esse poterant ,
è Regis præsentia , grauissimorumque negotiorum expeditione à Piissi-
mo Principe facultate impetratâ ad tuos Gienenses festinus aduolasti ,
trophæis diues ad tuos remigraſti , & in tuo Gienensis Ecclesiæ apice ser-
uatus es. Saluæ Ecclesiarû decus , & ad senectutem bonam Abrahæ emu-
lator accede : Munusculum accipe , cùm enim in votis esset Philosophiæ
nuncupare Patronum , benignitati tuæ fîsus , haud alium præter te affe-
ctu suggerente concepi : illudam sic emulorum latratus , inuidorum
morsus auertam , non quidem solidæ doctrinæ nixus fulcimento , sed
patrocinantis fauore. Librum studio adornauî ; ingenio , si quod in
me est , compsi ; labore expoliui tuis manibus offerendum. *Sed nescio*
quomodo præter impudentiæ caliginem , quæ me circumfundit , unumquem-
que fallunt sua scripta , & authorem prætereunt , atque vt filij etiam de for-
mes delectant , sic etiam scriptores indecores sermonis sui palpant. Incautiùs

Ambr.
epist. 40.

Franc. de Ouiedo, Philosoph. Tom. I.

** 2

plerum

plerumque aliquid promitur, aliquid accipitur maleuolentiùs, aliquid exit
ambiguum, quia alieno examinanda iudicio, non pro nostra debemus ma-
gis, quàm pro aliena opinione tractare. Et discutere, omnes scrupulos ma-
leuolentia, discutiam certè, & abigam EMINENTISSIME PRÆSVL, si
fauere decreueris, auxilio foueris, manum porrexeris: me patere Mæ-
cenate tanto gloriari, permitte vel solâ hac nomenclaturâ defendi,
sustine tuo nomine protegi: apud te nunquam fatigatus est, qui
rogauit. Vale PRINCEPS CELSISSIME, Ecclesiæ culmen, pietatis
asylum: millies tibi addiçtissimus Capellanus, Vale precor.

Eminentia vestra,

Addiçtissimus Capellanus

FRANCISCVS DE OVIEDO.



AD